

in omnes formas, tanquam alter Proteus, te transmutaveris.

26. *Sensus certè Prototypi adeò fuit manifestus, & scripturis conveniens, ut in ipsa etiam mutata editione, nec dilucidior, nec analogiæ fidei magis consentaneus fuerit redditus: asserente hoc ipsum ex Sacramentariis quoque Georgio Sohnio: Tom. 2. operum. p. 205.*

27. *Quid igitur? Hoc nimirum relinquitur, variatione ista ansam calumniandi subministratam adversarijs: id quod ex actis Colloquij Ratisbonensis, Anni. 1541, liquidò patet.*

28. *Nos proindè neglectâ adulterinâ editione, ad ipsam Prototypi veritatem excutiendam accessum faciemus.*

29. *Considerat autem ille Christum, non modo quoad Redemptionis sive Mediationis officium: sed & quoad personam eius: Et id quidem haud immerito.*

30. *Neque enim alterutra tantùm, sed utraque hæc Christi agnitio coniunctim est illud Pietatis mysterium, quod ὁμολογούμενος μέγα Apostolus pronunciat: 1. Tim. 3, 16. Utraque hæc est salutis nostræ prora & puppis unica. Ies. 53, 11. Ioh. 17, 3. Utraque hæc est petra illa, super quam edificata est Ecclesia. Matth. 16, 18. Utraque hæc tandem est norma illa ac regula.*
ad cu-